



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**


**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

cap. 3. Perpenditur, an circa modum Contemplandi idonea regula sit,  
initium facere orationi spontanea suspensione trium facultatum  
internarum, generatim sumptarum dum homo, quoad ejus potest, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

In hunc locum, istud dicatur de tota Trinitate, ut interpretatus est Hugo Cardinalis, & cum dicitur: *Et quem misisti JESUM Christum; dicatur de Filij Humanitate.* Et causa est, quia ista terra viventium, quæ est ista Sacrosancta Humanitas, fluit lac & mel, quæ est promulsis quædam deliciarum celestium, quæ largè exundant ad animam in excelsa contemplatione beandam. Atque hæc de objecto sufficient.



### Caput III.

*Perpenditur an circa Modum contemplandi idonea regula sit, initium facere Orationi spontanea suspensione trium facultatum internarum, generatim sumptarum, dum Homo, quoad ejus potest, abstinet ab exercitio Imaginationis, Intellectus, & Voluntatis, ut sic quietem ingrediatur.*

#### I.

**S**ecunda lex, quæ tironibus Contemplationis, multum negotij facessit, ad Modum contemplandi pertinet. Contendunt enim Magistri isti; ad talis actus perfectionem necessarium esse ponere omnes imagines, omnes intellectiones, affectus omnes; aut saltem illos non excitare: hærendo tantum, ut supra jam insinuatum est, coram DEO fide quadam simplicissimâ, non spectando aliud, quàm transigere tempus cum ipso in silentio, haud aliter quàm qui scit se amicum habere præsentem, & hoc uno contentus est.

Est



Est ista Quies ineffabilis: ita est: sed hæc non est omnium; eorum tantum est, qui in perpetua quadam amoris Divini exercitatione vivunt. Sed ne isti quidem jus ad eam ullum prætereendere possunt; sed necesse habent ipsi quoque cum sponsa interdum suspirare. *Quæsi vi illum, Cant. 3.1. & non inveni.* Siquidem, ut S. Teresa pluribus locis professa est, si DEUS nobis non concedit interiorem illum recessum, quidquid demum nos conemur, nunquam illum consequi licebit. *Man. 4. c. 3. & alibi.*

Quid fiet igitur, si hanc nobis Quietem DEUS nos largitur? Perfectus recessus intra se & collectio, est concors illa attentio, quâ DEO suo præsentem auscultant tres facultates, tanto præstantior, quanto simplicior. Quies, est tranquillitas animæ undequaque contentæ, quæ recessui illi, & otio facultatum superadditur. In recessu & otio metuunt facultates, ne à sensibus externis turbentur: unde illi, qui ad talem statum pertingunt in Oratione, claudunt oculos, & metuunt, ut Sancta observavit, tussire, commovere se, expuere, perinde ac si ab his ejus otij conservatio penderet. In plena Quietem non metuunt. Si proin nos conatu nostro non possumus assequi otium illud ac ferias quotiescunque nobis placet, quod tamen possunt histrices, limaces & conchilia, quæ se, quoties lubet, intra sese recipiunt, quâ tandem ratione ipsam adeò Quietem assequemur? *Recessus, de quo loquimur, non est in potestate nostra, ait Sancta, sed obtinetur, quoties DEO placet facere nobis istam gratiam.* *Manf. 4. c. 3.*

Quis igitur capiat, quæ ratio exigat, ut omnibus ad contemplationem aspirantibus scribatur hæc lex, ut Orationem ingressi confestim incipiant desiderare hanc Quietem, quæ est apex illius; à suspendenda inquam exercita-



tionem qualibet internarum trium facultatum, Phantasiæ, Intellectus, & ipsius ad eam Voluntatis, cum Quietem istam à nostro pendere arbitrio DEUS noluerit?

Quin imò sicut Meditantibus istud documentum datur, ut inventa in primo puncto desiderata consolatione, porro non progrediantur, sed in eo sistant ad fruendum DEO; cum aliter facere esset finem relinquere propter media. *In puncto, in quo affectus fuero quasitam consolationem, conquiescere debeo, sine transcurrendi anxietate, donec mihi satisfecero.* Sic contemplanti istud dari debet, ut si quando optata cum DEO conjunctione privatur, ab exercitatione prædictarum facultatum incipiat in puncto aliquo: aliter enim facere, esset velle finem sine mediis: cum nemo unquam satis capere possit, quòd optimum ad imperandam conjunctionem cum DEO medium sit, non uti dictis facultatibus, sed iis otium & velut iustitiam ab omni opere imperare. Quid enim quæso est, si qua Sanctis fides, quærere conjunctionem cum DEO, quàm omnes tres facultates nostras concordi studio ad eam consequendam applicare, etsi hoc sine labore ac difficultate non fiat?

Mortificatio, Humilitas, Obedientia, Abnegatio pravorum appetituum, optimè præparant hominem ad hanc conjunctionem, quis id nescit? sed ad rem nostram non sufficiunt. Si sufficerent; quid necesse esset ad orandum accedere? acceditur ad orandum, ad dictas toties facultates DEO implendas. Et ad hoc satis etiam non est genus niti instar statuarum. Hæc siquidem præparatio sanctissima est, sed non est propria & proxima ad efficiendum, ut DEUS se ipsum nobis communicet modo sæpius indicato. Ferre æquo & patienti animo morbos, non est sufficiens ad sanitatem recuperandam præparatio. Necessè

S. Ignat. in  
Exer. Spirit.  
rit. addit.  
4.



cesse est huic conjungere proximam, quæ consistit in vocando Medico. Ferre æquo animo ignorantiam non est sufficiens ad scientiam obtinendam præparatio: addere oportet proximam, quæ consistit in consulendo Magistro & Doctore. Tolerare forti animo adversa, imò abjicere sese, obedire promptè, vincere sese & edomare motus animi, supra omnem Pachomium, non est præparatio sufficiens ad homines concionando ad meliorem frugem reducendos; necesse est huic jungere alteram, & excogitare rationes ad eos permovendos idoneas. Non dissimili modo ad satiandas DEO nostras facultates sufficiens præparatio non est, trunci instar stare in loco orationis, quando intra nostros limites juvare nos ipsos possumus; nam illa alia, si multum, remota tantùm est præparatio. Propria & proxima est, impendere ipsas illas facultates, ad quærendum DEUM pro illarum modo sic ut non tantùm fide nõrunt, præsentem in ipsis esse DEUM, sed ut eundem etiam quantum valent experiantur, illo gaudeant, eum gustent, loquentem sibi auscultent, & ab eo recipiant gratum illud commercium, quod quietæ orationis mentalis finis est.

## II.

VERùm, pruritus iste efficiendi his temporibus, ut orationis tempore facultates toties nominatæ ferientur penitus, eò usqueque progressus est, ut, dummodo homo non plena voluntate aberraret ad alia, à nonnullis illi suadeatur, nec quidquam quærat aliud; quasi sola de DEO præsentem fides defectum alium omnem suppleat.

Citatur in hujus doctrinæ favorem S. Thomas; qui <sup>2.2. q. 83.</sup> docuit, quòd prima orandi Intentio eam vim habeat, ut <sup>2. 13.</sup> postmodum omnis secuta oratio non tantùm digna sit mercede,



cede, sed etiam impetrate aliquid à DEO valeat, vel in-  
gratis omnium aberrationum, quibus animus aliò non vo-  
lens evagetur; & tandem est, qui doctrinam hanc suam  
non ut victor tantùm, sed in re tanti momenti triumphator  
ita concludat: *Videat nunc qui volet, an S. Doctor clari-  
us in rem nostram loqui potuisset.* Et tamen S. Doctor, si lu-  
beret ejus locum afferre integrum, non autem truncum &  
mutilum, ut illis familiare est, qui non veritatem, sed opi-  
nionem suam assertam volunt, tam disertè doctrinam oppo-  
sitam tradidit, ut res admiratione sit digna.

Ait igitur, Angelico illo suo lumine, quo donatus à  
DEO fuit, triplicem esse, quem Oratio afferat, fructum.  
Primus est Meritum, qui est communis omni actui bono.  
Et ad hoc docet, sufficere intentionem primam, quâ quis  
voluit ponere actionem illam, etsi subinde hæc intentio in  
operando non perleveret. Secundus fructus est Impetra-  
tio, qui est proprius Orationis; & ad hunc docet etiam  
sufficere intentionem primam, quæ id spectabat ut impe-  
traret; ad hanc enim DEUS præcipuè attendit, & non ad  
aberrationes, quæ subinde non volenti accidant. Sed  
ultra duos hos fructus, addidit mox Sanctus, est & tertius,  
qui consistit in spirituali Refectione animæ: & ad hunc ait  
non sufficere primam orandi intentionem, sed necessariam  
esse attentionem continuam. *Tertius autem effectus ora-  
tionis est, quem presentialiter efficit, scilicet, quadam spiri-  
tualis resectio mentis; & ad hoc de necessitate requiritur in  
Oratione attentio, unde dicitur 1. Cor. 14. Si orem linguâ,  
mens mea sine fructu est.* Hinc autem S. Doctor præclare  
monuit, quæstionem ejusmodi, an sufficiat in Oratione  
habere intentionem primam orandi, locum propriè non  
habere in oratione mentali, sed in Vocali tantùm, quæ fit  
recitan-



recitando v. g. officium divinum, Litanias, Coronam B.V. aut alias similes preces. *Questio hac præcipuè habet locum in Oratione vocali*: Quia in oratione mentali rationi huic locum non esse ambigere prudenter nemo potest; cum hujus scopus non sit mereri tantum & impetrare, sed animum pascere.

Quomodo igitur fieri potuit, ut locus hic S. Thomæ adduceretur ad asserendum, debere hominem adstare coram DEO sine ulla cura impendendi, licet possit, facultates suas internas, contentum primo illo suo actu, quo se ibi constituit ad orandum in Fide; dum his ipsis S. Doctoris verbis è diametro opposita sententia adstruitur?

Si Homo, quantumcunque conetur, efficere tamen non potest, ne mens aberret aliò, & cogitationes effrenes evagentur, tum enimvero non est quòd se affligat, aut animum despondeat, quasi operam orando perdidit: tum enim pro Refocillatione, quæ deficit, dabit illi DEUS vigorem illum internum, quo ipse animum etiam absque cibo restaurare potest: mera temeritas est velle vivere sine cibo, aut nolle cibum alium, quam qui cælo sicut Manna depluat.

### III.

SI proin placuerit evolvere, quidquid Sancti de Contemplatione tractando scriptum nobis reliquere, patebit manifestè, nunquam illos condemnasse Imagines & Phantasmata, sed eorum strepitum: nunquam condemnasse ratiocinationes, sed earum strepitum; nunquam affectus voluntatis, sed eorum strepitum. Si enim dicatur quòd in Contemplatione ista nimis anxie procurare, multum no-

H

ceat,




ceat, bene habet. At non ita, si dicatur, quòd Contem-  
 plationi impedimento sit hæc placidè, & sine nimia soli-  
 tudine procurare: neque enim hæc unquam fuit Sancto-  
 rum doctrina. Imò S. Mater Teresia, quæ tam egregiè  
 hanc Contemplandi formam examinavit, quam novi isti  
 Magistri docent, sic pronuntiavit: *Cùm DEUS nobis facul-  
 tates nostras nobis dederit, ut illis ad operandum utamur, non  
 oportet eas incantare, sed permittendum est, ut officio suo fun-  
 gantur, donec eas DEUS ipse ad altiora evehat.* Per-  
 pendit tantùm, quòd quietis tempore hoc fiat sine strepitu,  
 ne ignis suffocetur parùm opportuna exaggeratione ligno-  
 rum, quibus ille esset nutriendus. Atque hoc est, quod  
 & ego strenuè propugnare toto hoc libro constitui.

Mans. 4.  
c. 4.

Vita c. 15.

Sed en! adverto esse aliquem, qui imponere hîc mi-  
 hi conetur, mutando vocem Incantationis facultatum in  
 vocem Obtutus fixi, quòd nomen veræ Contemplationi  
 convenit, usque adeò splendidum est. Huic igitur discu-  
 tiendo danda est opera: ut enim in Oratione dari potest  
 Obtutus fixus, cujus summa sit utilitas; ita dari alius po-  
 test, qui nullius penitus sit valoris. Rogo igitur Lectorem,  
 ut hîc sit perquam attentus; nec enim leve fraudis peri-  
 culum est; *Nemo vos seducat inanibus verbis, clamat  
 Apostolus; Nemo, Nemo.*



Caput IV.